



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurrentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Ad Quæst. 73. Additio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

Ad Quæst. 73. *Additio.*

**A**D id quod insinuat *Auctor hoc loco n. 2.* Monachum præsentatum per Abbatem ad aliquam Ecclesiam parochialem non per hoc esse perpetuum & irrevocabilem; adde quod quamvis Concilium Tridentinum *sess. 7. de reform. cap. 7.* iusserit, ut Episcopi in Ecclesiis curatis, quæ Cathedralibus, Collegiatis, Monasteriis aliisque piis locis perpetuò unitæ sunt, instituant Vicarios perpetuos, nisi pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire eis videbitur, idque conformiter iuri communi, in *cap. extirpande §. qui verò de præb. cap. cum & plantare §. in Ecclesiis, cum aliis similibus adductis per Rot. decis. 5. numer. 2. par. 7. recent.* Attamen ubi cura incumbit ipsi Ecclesiæ collegiatæ vel Monasterio, locove pio unita & subiecta est pleno iure, adhuc potest cura exerceri per Vicarium temporalem & amovibilem. *Glossa in clem. un. §. quidam etiam verb. ad mensam de excessib. prælat. Gonzal. ad regul. 8. glof. 5. §. 3. num. 14. Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 33. num. 93. Rota coram Seraph. decis. 130. num. 1. & in recent. decis. 10. num. 7. par. 14. & decis. 93. num. 7. & 8. par. 16. & quamvis aliis videatur etiam in his curis pleno iure suppositis alicui collegio vel Monasterio posse erigi vacarias perpetuas arbitrio Episcoporum, ut nos, *Garcia de benef. part. 11. cap. 2. per tot.* Id tamen quoad Monachos & regulares ita intelligendum erit, ut in dictis Ecclesiis annexis erigatur perpetua Vicaria, & perpetuus titulus, remaneat tamen amovibilitas quo ad personam Monachi vel Religiosi deputati, qui ob votum obedientiæ impeditur, ne possit habere beneficium, nisi ad superioris nutum, uti eleganter explicat *Rota d. decis. 10. n. 8. par. 14. & decis. 245. num. 13. & seq. par. 6. rec.* quâ ratione etiam *San. mem. B. Pius V. constitutione 46.* in Vicariis perpetuis parochialium unitarum Monasteriis regularium mendicantium, permittit ab Episcopo depurari unum ex ipsis regularibus ad nominationem superiorum prævio examine approbatum, ad nutum eorundem superiorum amovibilem; circa quam constitutionem vid. quæ notat *Fagnan. in c. quod De superiorum num. 14. & 15. de statu Monachorum.**